Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2281

Quelle:
Copyright:

auia llamado, y reconocieron non eſtar la falta en el eſtado de Vida, ſi no en el non ſaber vſar del como deuian. Sectum eſt in IV. *Dialogos* pium hoc Drama, quorum I. et III. inter Fratres, II. et IV. inter Sorores. Autor tacetur, qui fortaſſis eſt idem *Hieronymus de Lemos*, ut omnia ſuadent.

DCI.

809 Codex chartaceus germ. Sec. XVII. Folior. 405. 8. minute deſcriptus dicitur: *Guldten Schatze Der Himelliſchen Glory*, id eſt: *Aureus Theſaurus Coeleſtis Gloriae*, agitque *Partibus* III. de Vita et Morte D. N. J. Ch. Autor *Georgius Harſch* dicat *Ferdinando* II. Imp. die *Bartholomaei* Apoſt. anno 1635. nihil tamen de ſe in prolixa nuncupatoria memorat, neque alibi quidpiam de eo memoratum reperio, unde ignoro, an ad nobilem, nunc Comitum, hujus nominis gentem pertineat. Virum fuiſſe pium, in ſacra lectione verſatum, linguaeque latinae peritum ex Autorum adductorum locis patet, et fortaſſis concinnius ea lingua diſſeruiſſet, quam patria, quod quidem multorum ea aetate in *Germania* fatum fuit. Ait tamen in *Praefatione*, quae *Dicationem* excipit, ſe ſtilo ſimplici uſum, quo Operis utilitas ad plures porrigeretur. *Parte* I. agit de Fructu multiplici, qui e frequenti Vitae Mortisque Chriſti contemplatione redundat, *Parte* II. Vitam Servatoris ab Incarnatione ad Crucifixionem perducit, *Parte* III. Reliqua usque ad Aſcenſionem in Coelum exequitur, tum perorat.

DCII.

Codex chartaceus ital. Sec. 704 XVII. Folior. 367. 4. non una manu exaratus continet *Thomae Bergomatis* Ord. Capuc. Adjutoris, ut vocant, Laici Opuſcula Aſcetica inſcripta *Leopoldo* Archid. *Auſtr. Caroli Styriaci* filio. Sunt vero ea: *Scala di Perfezione*, *Breue Trattato di coſe ſpirituali*, *Dell' Aſcenſa del noſtro Signore in Cielo*, *Dell' Amore et unione*, *che ha l'Anima con Iddio*, *Dell' Eſtaſi*, et quaedam de Amore Dei Fragmenta. Alia illius enumerat Ill. *Mazzuchellius* in *Scriptt. Ital. Vol.* II. P. 2. p. 942. Affectibus myſticis multum indulget Vir pius, qui ſe *ſemplice idiota et ignorante fratticello* compellat, ſeque ſua non niſi *delle longe orationi et frequenti contemplationi* hauſiſſe adſerit. Interim tamen textibus S. Scripturae et quorundam Patrum *latinis* utitur. Obiit *Oeniponte* a. 1631. *Ferdinando* II. Imp. *Leopoldo* ſupracit. et *Carolo Madrutio* Card. *Tridentino* carus.

DCIII.

Codex chartaceus ital. Sec. 572 XVII. Folior. 44. 4. continet *Joh. Franciſci a Cleſio* O. M. Summaria X. Librorum, quos de